



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Peregrinvs Ep. M. 13. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

traheretur in lucem. Mortuo Angeli cecidere
 lesum : palma & casa quasi desiderio viri , &
 alium quemcumque dominum indignantes pro-
 cubuerunt. Quid ad hæc nostra juvenus, mori-
 bus juxta capillisque luxuriantibus in Nabucho-
 donosorem citius, quam ONVPHRIUM degenera-
 tura ? Ex vit. PP.

*Comas aut vestes supervacuas curare, vel infe-
 licium est, vel injustorum. Nam quid est talibus
 expectandum aut suspicandum, nisi ut lascivus ille
 ornatus feminas pretereuntes invitet, aut alienis
 matrimonii insidietur?* S. Bas. de Leg. lib. Gent.

S. PEREGRINVS EP. M. 13. Innij.

CETHEVM in cuius, in tumulo PEREGRINVM
 dixere. Aternensium Pontifex fuit, cum è
 Longobardis in urbe tyrannidem Alais & Vmblo
 obtinerent. Horum ille sevitiem detestatus, Ro-
 mam ad commune orbis asylon D. Greg. Pont.
 Max. transfugit. Sed populus Aternensis PEREGRIN-
 VM jure optimo jam olim suum repetiit, & verò
 iudice Gregorio etiam obtinuit. Interea cum nec
 ista regna socium ferrent, tyranni duo armis inter
 se collisi sunt, & Alais in suum præsidium, sed exi-
 tium urbis tertium hostem Vitalianum Comitem
 introduxit. Tunc verò, auctore CETHEO, civis
 arma capiunt victumque Alaim, & vinctum Vm-
 bloni tradunt. Mox tamen adest CETHEVS, & vi-
 tam capto orat. Sed quæ alteri prodesse studuit,
 sibi nocuit misericordia. Vmblo Alais fa-
 ctioni CETHEVM favere credidit. Quare utrum-
 que ad gladium damnat. Cæso Alai cum carnifex
 Pontifici instaret, omnes ad officium vires amisit;
 at non consilia tyrannus. ex ponte in Aternum.

fluvium jubet præcipitari. Enatanti saxum jubet appendi ingens, iterumque mergi. Sed vel mortui virtus supra aquas se extulit, docuitque etiam saxa natate. Tumulum deinde primum ignoto Arrianenses dederunt, unaque PEREGRINI nomen. Illum facibus suis cælum nobilitavit; quod ipsum miraculum testis, & ipse miraculosus (cæcus) vidit. *Ex Ferrar.*

Si aeterni Patris inhabitare domum, si rei celestis parricidij teneri nolumus, terris invidia excludamus insidias: invidiam armorum celestium viribus comprimamus. quia sicut nos Deo jungit charitas, sic à Deo invidia se jungit. S. Chrysol. serm. 4.

S. ANTONIVS DE PADVA C.

13. Iunij.

ANTONIVS, quem vulgò Patavinum dicunt, S. Francisci discipulus, suis ad concionem verbis à flagitiosâ vitâ quamplurimos revocavit. Eam ob rem cum oculi dolerent inferno hosti, decumbentis in lectulum spiritum elidere faucibus interceptis aggressus est: sed ille unico MARIÆ nomine simul viam loquelæ fecit, simul insidiatorem in fugam dedit. Hæreticum, qui sacre Eucharistiæ cultum negaverat, ad saniolem mentem & ipsum reduxit. Cùm enim mulus impij à negato aliquam multis diebus, sed præbito demum lautè pabulo, ad ANTONIVM vocatus accurrisset, sanctiusque epulum pronus in pedes adorasset, sapere à jumento suo etiam dominus didicit. Pro concione funebri lucronis cujusdam palam edixit, illum aeternis inferorum flammis addictum esse, ejusque aded rei indicium fore cotillius non pectore, sed arcâ cum nummis suis clausum.